



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 3. Quàm sit acerba pœna damni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

esse rem aliquam veram, cuiuscunque ordinis aut predicamenti cogniti, vel incogniti à nobis esse fingatur. Patet: nam eodem modo inquiram, in quo consistat malitia, vel disconuenientia talis rei. Nam, ut res positiua est, non est mala, & necessario confert aliquam perfectionem, non tollit autem aliquam aliam rem, vel proportionem conuenientem, vel necessariam ad conseruationem, vel operationem: quæ igitur esse potest res talis, aut eius disconuenientia: quamue incommoditatem, aut deformitatem potest asserre spiritui? Et similiter inquiram, an res, quæ accidentaria necessario esse debet, cum sit in angelo, sit supernaturalis quoad substantiam, vel conaturalis alieni creaturæ. Itaque, vel rationes in vniuersum probant nullum esse possibilem talè cruciatum; vel nihil probant, sed ab omnibus soluendæ sunt. Quod æque procedit, siue ponatur cruciatus hic fieri per ignem, siue immediate à Deo ad præsertiam ignis: eodem enim modo inquirendum erit, quenam res illa sit, quam Deus in anima, vel angelo facit, cuius ordinis, quam disconuenientiam asserat, & similia.

iusmodi in eis fieri, ut rationes factæ, cum proportione applicatæ probant. Et ita in reuelationibus apud Bedam, & alios, etiam animæ purgatorii leguntur videri deformes: nec repugnat superiori modo esse perfectas, & adhuc manere in illis aliquid imperfectionis per inferiores qualitates seu impressiones. Quidam vero excogitant hanc qualitatem non aliter deformare, aut affligere, quam representando animæ peccata præterita, & reatum inde contractum, & omnes defectus, omnemque vitæ negligentiam, quæ fuit occasio moriendi in eo statu. Sed hoc mihi non probatur: tum quia illa representatio non potest esse naturalis, sed ad placitum ex aliqua Dei impositione prius reuelata ipsi animæ, tum etiam, quia tota illa representatio non excedit penam vermis conscientie, & ideo superflua, & insufficientis est. Id ergo, quod imprimitur spiritui, quidquid illud sit, altiori modo, & nobis incognito illum male afficit, deformat, ac contristat: illud autem esse non potest nisi qualitas aliqua, licet modus eius ignoretur.

SECTIO III.

Quam sit acerba hæc poena ignis purgatorii.

Potesse præsens quæstio de poena damni, & de poena sensus tractari. De priori certum est esse grauissimam ex parte priuationis tanti boni, quæ licet temporalis sit, maius malum merito existimatur, quam quodlibet temporale damnum vitæ præsentis, ut docuit D. Thom. 4. d. 21. quæst. 1. art. 1. qu. 3. quem sequuntur Palud. ibi qu. 1. art. 1. concl. 4. R. Th. d. 20. art. 2. quæst. 1. Soto d. 13. art. 3. concl. 2. Qui etiam intendunt, tristitiam ortam ex illo malo apprehenso, esse maiorem quolibet dolore vel tristitia huius vitæ. Vnde concludunt, poenam illam damni omnibus modis excedere omnes huius vitæ poenas: censent enim, ut supra notauimus, hæc tristitiam ad poenam damni pertinere, & ideo hunc dolorem cum priuatione coniungunt, ut illa sit omnibus modis maior poena. Quia sæpe contingit priuationem maioris boni non inferre tantum dolorem, quantum minus damnum inferret: flagellum enim sæpe causat maiorem dolorem quam ensis, licet non priuet æquali bono. Probat autem hæc sententia: quia magnitudo tristitiæ oritur ex magnitudine boni amissi, seu mali presentis, & ex vehementiori illius consideratione, & ex magna affectione ad illud: hæc autem omnia excellunt in poena illa; talis enim est visio & beatitudo cælestis, ut possessio illius vel per diem excedat omnia bona huius vitæ simul sumpta, & per diuturnum tempus possessa: tale est etiam bonum illud, ut si opera nostra, vel afflictiones per se spectentur, esset superabundans præmium illorum, etiam si ad breue solum tempus concederetur; ergo è contrario retardatio tanti boni, & priuatio eius, licet temporalis, maximum malum est, infinite (ut sic dicam) excedens omnia huius vitæ nocumenta. Rursus animæ illæ sanctæ penderant & expèdunt optime grauitatem illius mali, & quod grauissime pungit, cognoscunt sua culpa & negligentia illud sustinere. Ac denique vehementer amant Deum, & consequenter eadem intentione appetunt illum videre: se etiam ordinatissima charitate diligunt; ergo necesse est, ut vehementem tristitiam inde concipiant.

Dices, multa etiam sunt, quæ dolorem illum lenire possunt. Primo, certitudo gloriæ futuræ. Quæ spes non potest non asserre illis magnum gaudium, iuxta illud Pauli, *Spe gaudentes, &c.* Vnde Cæcilius Arlatensis, homilia octaua, sic obicit. *Sed dicit aliquis, non ad me pertinet quandiu moram habeam, tantum ut ad vitam æternam perueniam.* Secundo, honestas & rectitudo

Poena damni purgatorii excedere quodlibet temporale malum. D. Tho. Palud. Richard. Soto.

Obicitio contra assercionem positam.

Solutio prima obiecti.

Qualitas ignis in spiritibus est præternaturalis.

Satisfit 2. obiecti.

Qualitas sit disconueniens in se, ut sit illi naturaliter improprie nota.

Ad primam ergo obiectionem in primis assero non sequi, qualitatem nulli creaturæ connaturalem esse supernaturalem, eo modo quo gratia, & virtutes in se supernaturales dicuntur: est enim hoc necessarium non tamen sufficit: nam ultra hoc necessesse est, ut sit qualitas diuini ordinis, sitque participatio eminens alicuius perfectionis simpliciter naturæ intellectualis, quatenus talis est. Vnde dotes gloriæ corporis, quæ qualitates sunt, nulli creaturæ sunt naturales, & tamen non sunt supernaturales eo modo, quo gratia, & charitas. Imo nec character, etiam spiritus sit, videtur illo modo supernaturalis, ideoque ad perfectionem simpliciter animæ Christi non spectat. Adde calorem ut centum fortasse nulli creaturæ connaturalem esse, & non propterea esse supernaturalem illo modo. Has ergo qualitates præternaturales potius creaturis, quam supernaturales censeo, vel saltem non esse de ratione earum, ut supernaturales sint, ut verbi gratia, si Deus tribueret intellectui angelico speciem intelligibilem inferioris ordinis, & cõmensuratum illi, quæ est in homine, præternaturalis illi esset, non tamen simpliciter supernaturalis. Sic ergo philosophandum censeo in re hac, de qua agimus, talis enim est qualitas impressa ab igne, ac proinde ad perfectionem non spectat, sed potest esse spiritui disconueniens.

Vnde ad 2. & 3. obiectionem respondetur in primis, ut aliqua res seu qualitas disconueniens sit alteri, & habeat rationem mali, non esse necessarium, ut aliam rem vel qualitatem ab illa excludat, sed tantum ut illi sit naturaliter improprie nota, ut in Disposit. Metaph. late tractatum est. Et exemplis declarari potest quia nimius calor ultra octo gradus est disconueniens igni, etiam si illum nulla qualitate priuet, & rebus monstris superflua multitudine membrorum, aut partium non naturalium est disconueniens, etiam si alia re non priuet. Deinde dicitur, licet disconuenientia vnus rei ad aliam regulariter non intelligatur, nisi in ordine ad debitam conseruationem, vel operationem, tamen etiam intelligi posse in ordine ad pulchritudinem, & conuenientem naturæ compositionem: maxime in ordine ad diuinam omnipotentiam, quæ infinitis modis potest, vel perficere, vel deformare creaturam suam, & affligere illam, quæ sensus vel cognitionis capax fuerit.

Tandem potest hæc sententia specialem habere difficultatem in animabus purgatorii, quibus non videtur posse imprimi qualitas aliqua, quæ illas deformes reddat, cum sint pulcherrimæ per gratiam, & alia supernaturalia dona. Sed nihilominus si verum est, illas torqueri ab igne, necesse est aliquid hu-

Fr. Suarez. tom. 4.



stitudo voluntatis, per quam conformantur diuinae iustitiae, vnde fit illa poena quodammodo voluntaria, & consequenter non admodum affligens. Tertio ex diuina charitate non solum tolerant, sed etiam gaudent tali poena: quia vident esse mediā ad satisfaciendum Deo, & ad obtinendam perfectam conscientiae puritatem, ac dispositionem necessariā ad videndum Deum. Confirmatur: quia Patres veteris testamenti eandem poenam sustinentes quoad priuationem seu dilationem beatitudinis, nihilominus habebant spiritualem consolationem: nam de Lazaro dicitur Luc. 16. *Hic autem consolatur.* Nec est verisimile habuisse tantam tristitiam, quantam in hoc seculo in multis occasionibus homines patiuntur. Imo August. Epist. 99. ad Euod. & Gregorius 13. Moral. ca. 17. alias 12. significat illos fuisse in requie, absque vlla poena. Tandem hinc oritur difficultas supra tacta: quia sequitur sanctiores animas Purgatorij, quamuis leuissimas culpas reatus habeant, acerbius puniri quoad hanc poenam, & tristitiam: Patet, quia priuantur maiori pondere gloriae, ergo etiam inde magis tristantur: tum quia bonum, quod amittunt, est maius: tum etiam, quia perfectiorem habent charitatem, quae est radix huius doloris. Propter haecigitur, Sanctus Banauentura in 4. dist. 20. art. 1. q. 2. non putat tristitiam animarum Purgatorij ex hoc solo capite dilationis beatitudinis esse magnam.

Luc. 16.

August.
Gregor.

Veruntamen negotium hoc considerari potest vel ex natura rei, vel vt subest ordini diuinae iustitiae. Et licet vtroque modo tristitia haec magna sit: Tamen, si solum naturalem actionem seu consequentiam spectemus non est dubium, quin hic dolor possit alius medijs & considerationibus propositis minui, vel leniri: imo etiam non semper esset vniformis ac necessarius omnino. Possent enim animae illae pro suo arbitrio considerationem auertere à malo dilationis, & vehementer illam applicare ad bonū spei, & inde magis consolari, & sic de ceteris. Nihilominus tamen etiam hoc modo magis consentaneum est naturali propensione, tum naturae, tum etiam charitatis, vt illae animae ferantur in actuale considerationem praesentis status, quem habent, & illius quo carent sua culpa, & quod ex illa dilatione vehementer affligantur. Et quamuis huic considerationi aliae superueniant, quae consolationem generent, non minuunt priorem tristitiam, sed iuuant ad illam ferendam patienter, summa cum reuerentia. Nam hinc etiam prouenit vt poena illa, secundum se spectata, inuoluntaria sit, tamen in ordine ad iustitiam diuinam sit acceptata voluntarie: conformantur enim illae animae diuinae voluntati in formali volito, non in materiali, & ideo etiam illa conformitas non excludit ingentem tristitiam, sed facit vt pacato & honestissimo effectu sustineatur. Cum hac tamen intrinseca propensione & quasi radice adiungenda est ratio, & prouidentia diuinae iustitiae, quae facit ita ordinari & moueri hos affectus, sicut necesse est ad eandem seu proportionatam punitionem singularem animarum. Vnde in quibusdam excitabit maiorem apprehensionem affectiuam, eamque (si necesse sit) perpetuam, & inuariabilem esse faciet: in alijs vero è contrario talem considerationem minuet, & aliunde excitabit aliam, quae magis consoletur. Et, si necesse fuerit, sicut in Christi anima simul fuerunt, & dolor summus in portione inferiori, & summum gaudium in superiori eiusdem voluntatis, ita suo modo, & in gradibus proportionatis, coniunguntur hi duo affectus in illis animabus, quamuis etiam sine miraculo existimo id fieri posse: quia non oportet vt vterque actus intensissimus sit.

Hinc etiam existimo tristitiam illam, vt est poena per se imposita ad purgationem culpā, magis esse de gradibus beatitudinis perpetuo amissis seu non lucratis propter otium, & venia peccata, quam

A propter solum dilationem beatitudinis aliquando consequenda. Et hoc modo grauius tristabuntur animae imperfectiores, vel quae maiorem reatum habent. Quod si fortasse ex alio capite iustiores animae interdum magis tristantur, id non est inconueniens, vel quia est per accidens, vel quia hoc ipsum illas iuuabit vt citius inde liberentur. Et ita facile soluntur difficultates tactae. De animabus vero sanctorum Patrum in limbo dictum sufficienter est in secundo tomo, disputatione quadragesima secunda, sectione prima, vbi ostendimus illas etiam aliquam tristitiam ex tanta dilatione sensisse; illa vero minor sine dubio erat quam sit in animabus Purgatorij: tum quia non detinebantur illae animae ob proprium & personalem reatum, sed erant quasi incapaces ex generali statu & conditione totius naturae: tum etiam quia credendum est ex diuina prouidentia habuisse plura media ad leniendam, vel diuertendam illam tristitiam.

De acerbitate poenae sensus in animabus Purgatorij.

Svperest dicendum de poena sensus de qua nonnulli Theologi volunt non esse grauiorem poenam, quam sit ea, quae ex igne causatur in anima corpori coniuncta, dum corpus comburitur: quia putant eundem omnino dolorem resultare ex illo igne in anima separata. Et hoc plane sequitur ex opinione Soti supra relata. Nihilominus communis sententia est, illam poenam esse acerbiorē omni poena huius vitae. Ita D. Tho. Bonau. Palud. Richard. citatis locis. Idem sentit August. libro secundo contra Manichaeum, capite vigesimo quarto, & libro quinquaginta homiliarum in 16. Iam libro de Cur. pro mort. agend. capite decimo octauo, vbi de igne purgatorij loquens, ait, *Esti aeternus non sit (vniue quoad punitionem) miro tamen modo grauis est, exceditque omnes poenas, quas aliquis in hac vita passus est.* Vnde in d. Psalm. 37. *Domine ne in furore tuo arguas me, ait, damnatos argui in furore Dei, iustos vero in Purgatorio corrigi in ira Dei: quia purgantur igne, qui grauior est omni poena huius vitae.* Idem Gregorius exponens verba eiusdem Psalmi trigimesimo septimi, qui est tertius poenitentiae. Beda ibidem, & libro tertio, Historiae Anglicae. capite decimono & libro nono, capite decimotertio, & Bernard. sermone de obitu Humberti. Anselm. 1. Corinth. 3. *Sciendum enim est (inquit) quod grauior est ille ignis, quam quidquid homo pati potest in hac vita.* Et in Elucidar. loquens de Purgatorij poenis, ait, *De quibus minimum maius est, quam maximum quod in hac vita excogitari potest.* Idem habetur nomine Augustini libr. de Vera & fals. poen. Facit etiam illud Hilarij Psal. 118. *Concupiuit anima mea desiderare, &c. c. Memento est indefessus ignis aedundus, in quo subeunda sunt graua illa expianda à peccatis animae supplicia, quae nos purgationem vocamus.* Denique Caesarius dicta homilia octaua, post verba supra citata, Nemo, inquit, hoc dicit, fratres charissimi: quia ille ipse purgatorius ignis durior erit, quam quod possit penarum in hoc seculo aut accidere, aut sentiri, aut cogitari. In Epist. etiam 206. inter Epistolae Augustini, quae tribuitur Cyrillo Hierosolym. est de miraculis D. Hieronymi, refertur poenam sensus purgatorij esse aequae grauem, ac inferni, solum in duratione differre. Idē late Carthusianus lib. de ludic. animarum, capite decimo quarto, & sequentibus, Ratio à priori simenda est ex ordinatione diuinae iustitiae, & ex grauitate offensionis eius, etiam minimae, quae altioris rationis est, quam omne malum creaturae, & ideo, licet non sempiternam mereatur, meretur tamen poenam grauiorem, & quasi altioris rationis, quam Deus in vita futura cum rigore exigit: quia homo est

hac vita, tempore sibi concessio vsus non est ad benigniorem compensationem faciendam. Quod autem anima capax sit huiusmodi poenae, suppositis, quae diximus in praecedenti sectione, facile intelligi potest: quia malum spirituale, quod est obiectum illius tristitiae, est grauius malum, quam sensibile obiectum doloris, & fortius apprehenditur ab anima separata, quae etiam expeditior est ad operandum, affectiones etiam spirituales tam gaudii, quam tristitiae, ex se sunt vehementiores, Deus etiam facile potest necessitate quadam ad tantum dolorem mouere: ergo.

At vero D. Bonauent. in 4. distinct. 20. artic. 1. qu. 2. assertionem hanc limitat, dicens, licet ex suo genere illa poena grauior sit omni poena sensibili huius vitae, ita ut maximam ad maximam comparado, illa excedat, non tamen in indiuiduo: quia magna poena huius vitae potest excedere minimam aliquam purgatorii poenam. Et morali ratione videtur hoc verisimile: quia si anima purgatorii solum habeat vnum veniale peccatum leue, non videtur mereri propter illud summus huius vitae cruciatus, & tam meretur aliquam poenam purgatorii: ergo non omnino illa ita est acerba, ut superet omnes huius vitae. Quod a fortiori sequitur, si verae sunt reuelationes supra relatae, quod animae aliquae purgantur sine ulla poena ignis, ergo a fortiori purgantur aliquae leuissima poena. Aliqui tamen Patres etiam generalius loqui videntur, etiam comparando minimam poenam purgatorii ad maximam huius vitae. Et specialiter expresse id affirmatur in illa Epist. Cyrillo Hierosol. attributa, & refertur ibi de hac re quaedam reuelatio.

Breuiter assero rem esse incertam: quia comparatio proprie fit inter homogenea, seu similia: haec autem poenae sunt diuersarum rationum. Vade, si loquamur de grauitate essentiali seu specifica, excedit purgatorii poena etiam minima: quia est alterius speciei seu ordinis in genere mali & doloris: si vero comparantur in accidentibus, se non repugnat multa esse in aliquibus poenis huius vitae quae non sint tam grauias in aliquibus poenis purgatorii: ut verbi gratia, potest poena aliqua huius vitae excedere in duratione, in gradibus intensiōis, in multitudine poenarum seu dolorū. An vero hic excessus possit esse tantus, ut in aeternitate morali aequet, vel etiam superet aliam grauitatem, ita ut in genere vindictae censetur maius supplicium, incertum est: non videtur autem inconueniens, nec a ratione alienum ita iudicare: quantum mihi verisimile sit, quamcumque animam in purgatorio existentem optare potius sustinuisse quascumque huius vitae poenas, quam in illis quibuscumque, & quacumque tempore detineri, saltem propter detentionem gloriae, de qua grauissime dolent. Vnde posset hoc loco comparari poena damni cum poena sensus, quae maior sit. Sed ea res latius tractatur de inferni poenis, & videri potest Chrysost. hom. 24. in Mattheum, & 35. ac 47. ad Populum, & lib. 1. de Compunct. cord. ad finem, & Patrum. ad Theodorum lapsam. Qui eleganter exaggerat poenam damni, eamque semper praefert poenae sensus. Quod si hoc verum est in inferno, vbi nullus est ordo, verisimilius erit in purgatorio, cum recte rationis ordo ibi seruetur, & secundum rectam rationem maius malum aestimari debeat carentia diuinae praesentiae, quam quaelibet sensibilis afflictio.

Nam poena purgatorii per daemones, tanquam per ministros, infligatur.

VLtimo dubitari hoc loco solet, an pertineat ad supplicium hoc purgatorii, ut per daemones tanquam per ministros diuinae iustitiae poena illa infligatur. Nam si hoc ita est, id pertinebit ad huius poenam.

Fr. Suarez. tom. 4.

na grauitatem: nam ipsa visio daemorum grauissima poena est, ut dicitur in illa Epistola Cyrillo attributa. Quod autem daemones ministri sint huius poenae, ex multis reuelationibus colligitur. Nam in vita D. Bernardi lib. 1. cap. 10. refertur, religiosum quendam post mortem Sancto Bernardo apparuisse, qui quatuor dilaceratis se traditum esse querebatur, a quibus affligebatur, qui postea eiusdem sancti precibus liberatus est. Idem sumi potest ex Bedae lib. 3. de Histor. Anglica. decimonono, Carthuf. de Iudic. partic. Congruentia etiam asserri potest: quia daemones sunt ministri diuinae iustitiae in vindicandis peccatis post hanc vitam: ipsi etiam in diuino iudicio vnumquemque accusant, etiam iustum, de quo cuiusque vel leui lapsu, aut reatu: ergo illis etiam ut ministris committitur eorum supplicium.

Contrariam nihilominus sententiam docent communiter Theologi in quarto, distinctione vigesima, & vigesima prima, vbi Diuus Thomas, Richardus, Bonauentura, Paludan. Soto distinctione decimona, & alii, qui solum videntur niti coniectura, quod non deceat animas iustas & sanctas, quae iam peccare non possunt, daemonesque vsque ad vltimum confictum vicerunt, eis iterum tradi, ut ab eis torqueantur. Aliunde etiam videtur credibile daemones, quod in ipsis est, non affligere illas animas, quia non sperant illas ad peccandum posse prouocare, qua spe mouentur ad vexandum viatores, quantumuis perfectos; & aliunde vident vexationem suam potius profuturam ut illae animae citius ab illis tormentis liberentur. Et ideo, quantum coniectura assequi possumus, nisi daemones a Deo cogantur, voluntate sua non assument hoc ministerium; nulla autem necessitas apparet ob quam a Deo cogantur: nec etiam videtur expediens, eum ipsi daemones nisi praua voluntate & odio sint tale ministerium effecturi.

In hac re tam in inferno, quam in purgatorio difficile est explicare, quomodo daemones sint ministri vel instrumenta ad torquendas animas perignem: quia in hoc nec actionem physicam per se efficere possunt: quia ipsi non concurrunt cum igne, sed solus Deus, ut per se notum est: nec etiam per accidens concurrunt: quia nec applicant ignem, nec aliquid aliud operantur, quod ad illam ignis actionem aliquo modo conferat. Solum ergo videntur posse concurrere, aut deferendo animas ad illa loca poenarum, aut illas violenter detinendo, aut ibi aspectu suo, & conuictis, & aliis actionibus similibus, mentalibus potius, quam externis, illas affligendo. Primus modus possibilis est, etiam circa animas purgatorii, communiter tamen non creditur necessarius: quia animae illae agnita Dei voluntate, sponte illuc tendunt, & honoris, ac consolationis causa potius creduntur angeli custodes eas comitari, quam impugnatores. Vnde multo minus indigent in eo loco violenta detentione, quare ad poenam ignis nullo modo existimo concurrere, aut ministerium aliquod conferre angelos malos. Reliquae autem actiones daemorum non sunt, consentaneae statui animarum iustarum; nec credo fieri posse ex imperio Dei, sed solum ex permissione: & ideo verisimiliorem censo sententiam Theologorum, quod daemones nullo modo torqueant illas animas: quia neque hoc eis imperatur, neque ex sola permissione facient, ne illis occasionem alicuius boni, vel celerioris liberationis asserant. An vero illae animae videant clare deformitatem dampnum, incertum est: tamen, etsi videant, non videntur inde torqueri, sed potius gratias agere Deo quod se ab eo statu liberauit: nec de malo illorum compatentur: quia illos vident iam esse omnino extra statum salutis. Si autem percipiunt blasphemias damnatorum contra Deum, non parum inde torquentur.